

Iovin. L. II. « Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. »

Quo ergo spectant verba, quibus asseritur *hoc fuisse Apostolos quod et Petrus et pari eos fuisse praeditos consortio honoris et potestatis?* Respondemus ipsa ita esse accienda ut componantur cum iis, quibus Primatus iurisdictionis Petro vindicatur. Itaque vel referuntur ad tempus praecedens institutionem Primatus; vel si ad subsequens quoque tempus alludunt, de dignitate simpliciter Apostolica loquuntur, quae omnibus communis erat. Fuerunt nempe pares Petro ceteri Apostoli in dignitate et iuribus Apostolatus, sub qua communi appellatione omnes ex aequo censemur: sed Petrus praeterea fuit caput, vertex, princeps Apostolorum, Primatum iurisdictionis in Ecclesia tenens; in quo primatu consortem non habuit: « Connexio enim (ait Leo epist. XIV ad Anastasium Thessal. c. 11.) totius corporis unam sanitatem, unam pulcritudinem facit; et haec quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed praeципue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis (non eodem scilicet ordine censemur, sed subordinatio inter eos existit) quoniam et *inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discrecio potestatis, et quem omnium par esset electio, uni tantum datum est ut ceteris praeemineret.* » Ceterum de inaequalitate Petri et Apostolorum, spectatis quoque eorum charismatis extraordinariis, dicemus commodius postea Th. VI.

Quaeri potest utrum Petrus ceterique Apostoli assecuti sint sensum verborum, quae Christus dixit Petro: videntur enim etiam postea ignorasse quis eorum esset maior Marci IX, 33; Luc. IX, 46; XXII, 44. Respondeo quod cum ageretur de re non tunc sed in posterum implenda, non erat opus ut tunc intelligeretur distincte sensus verborum Christi (cf. Ioan. II, 22). Contentio vero Apostolorum de primatu vel probat quod Apostoli non intellexerint clare et distincke, vel quod non intellexerint promissionem Petro factam esse absolutam, quod postea certe compertum est. Imo ipsa contentio suadet aliquo modo saltem intellecta fuisse verba Christi; occasio enim videntur fuisse quod cognoverint Apostoli aliquem inter eos futurum caput eorum: et viderint quosdam ex eis a Christo specialibus amoris significationibus ceteris praefferri.

THESES II.

*Verbis Christi Luc. XXII, 31. 32. divina promissio continetur infallibilis magisterii Petri eidemque divinitus commissi munieris confirmandi fratres.*

I. Ait Dr. Langen (op. cit. P. I<sup>a</sup> pag. 16.) convenire inter infallibilistas quod hoc in loco Christus terminis propriis expresserit, quod metaphoricis penes Matthaeum ab eodem Christo promissum est, ac apud Ioannem Petro tandem collatum. Quocirca colligit omnem questionem pendere a recta interpretatione huius loci. Verum turpiter errat ipse aut sponte decipit lectores. Nam primo quidem non ea est catholicorum sententia ut tantumdem penes Lucam dicatur licet diverso modo ac apud Matthaeum; ex Luca enim praerogativam infallibilis magisterii Petri, ac munieris confirmandi fratres in fide colligunt catholici; ex Matthaeo vero praeter hanc alias potissimas praerogativas Petri iidem deducunt. Deinde non ea est catholicorum mens, quod Doctor iste supponit, ut interpretatio verborum Christi penes Matthaeum etiam quoad praerogativam infallibilitatis certa non sit, nisi certum quoque sit praerogativam istam verbis Christi apud Lucam significari. Interpretatio enim verborum Matthei independens est prorsus sibique constans praecisione prorsus facta a verbis Lucae. Quapropter falsum est manifeste omnem controversiam circa Primum Petri eiusque infallibilitatem pendere ex interpretatione verborum Christi apud Lucam. His praemissis accedamus ad enarrationem horum verborum.

Dubitatum quidem est olim vel etiam a quibusdam negatum verba Lucae XXII, 31. referri ad Primum Petri: dubitationem omnem pro catholicis sustulit Conc. Vat. Sess. IV, cp. 4. inquiens: « Pontificum Romanorum apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ergo rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quaestio duplex dirimenda est 1) utrum verba Christi ad solum Petrum referantur; 2) utrum specialis praerogativa præ ceteris ei fuerit collata, et quaenam ea sit.

II. Verba Christi ad unam personam Petri referuntur. Sane a) contentione orta inter Apostolos, Luc. XII, 24. seqq. quis eorum videretur esse maior, refert Lucas primum Christum omnes esse allocutum: *Dixit autem eis: Reges gentium etc.* qua priori parte ser-

monis absoluta, monet idem Lucas Christum ad unum, h. e. Simonem convertisse sermonem: *ait autem Dominus: Simon, Simon: non ergo amplius directe omnes alloquitur Christus, sed tantum Simonem, licet de omnibus loquatur, vel indirecte etiam eos alloquatur iis verbis: expetivit vos.* b) Ille quem Christus alloquitur is est qui Christo respondit se paratum esse secum in carcerem et in mortem ire: *qui dixit ei: Domine tecum paratus sum etc.* et cui Christus immediate subiunxit: *dico tibi Petre; non cantabit hodie gallus etc.* Hic porro est unus Petrus. c) In verbis: *ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua* (1), et tu aliquando conversus *confirma fratres tuos;* pronomen personale *tu* bis repetitum unam personam designat, eamque Simonem illum, cui dixerat: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* d) Persona vero Petri designatur ut distincta a ceteris Apostolis, quibus opponitur, isque exhibetur ut confirmans, illi ut confirmandi: et *tu* aliquando conversus *confirma fratres tuos.* Ad unum ergo Petrum ut distinctum a ceteris, non ut repraesentantem ceteros verba Christi directa sunt. Quod igitur in verbis Christi continetur ad unum spectat Petrum.

III. Quid vero Christus dicit Petro? Σιμών Σιμών, ἰδού, ὁ σατανᾶς ἐξῆγητο (ἐξαιτεω pro eo adhibetur qui ad quaestionem postulat, ad poenam suppliciumque depositum) ὅμας, τοῦ σινιασα (quod teste Stida est σεισαι, κισσινησαι, θορυβησαι, ταραχει) ως τον σιτον. «In cribratione (ait Ioannes Cameron in Myrothecio Evangel. in h.l.) duo sunt, unum concussio illa atque agitatio, qua omnia sursum deorsum vertuntur, alterum vero segregatio et separatio: secundum priorem significationem hoc loco usurpatur, ut Christus nihil aliud voluerit quam Satanam voluisse Apostolos et Petrum dedi sibi, ut eos conturbaret.» Magna scilicet tentatio Apostolis imminebat, quos turbare et perdere volebat Satanus avellendo eos a Christo, impetens proinde eorum fidem, quae principium est unionis et societatis cum Christo. Quod eorum fidem seu unitatem in fide praesertim esset Satanus impugnaturus liquet ex verbis Christi, quibus ait se ad occurrentum huic malo orasse pro fide Petri. Non determinat Christus tempus tentationis, nec an una vice an pluribus Satanas esset cum Apostolis congressurus, sed indefinite loquitur; significatur quidem voluntas Satanae praesens, sed terminus huius voluntatis non limitatur ad praesens vel instans tempus; imo

(1) In epistola ampliore Ignatii ad Smyrnaeos legitur n. 7° « qui (Christus) rogavit ne deficeret Apostolorum fides ». Verum id de causa finali orationis Christi commode accipitur: nisi forte scriptor ille nactus sit exemplar, in quo pro *fides tua* scriptum esset *fides vestra*.

et ab ingenio Satanae haec limitatio abhorret. Hac porro praenuntiata tentatione Satanae qua omnes fratres essent impetendi, subdit immediate Christus: ego autem (qua particula oppositio significabatur: nempe *Satanas* et *ego* hostes sumus, ille *expetivit vos* ut cribraret, ego e contrario oravi) oravi pro te ut non deficiat fides tua. Cum omnes Apostoli expeterentur, Christus dicit se orasse pro uno, *pro te: ινα μη ἐκλειπη η πιστις σου.* Εκλειψις de quovis defectu dicitur; oravit ergo Christus ut nullum defectum fides Petri patiatur; propositio enim negans universaliter accipitur: oravit scilicet ut fides eius firma, stabilis, invictaque persistat.

IV. Quaestio est an oratio Christi impetrantis indeficientiam fidei Petro referatur tantum ad tempus mox futurum lapsus seu negotiorum, an indefinite pateat, perpetuamque constantiam et firmitatem in fide exoret Petro. « Christus heic, ait Dr. Langen (l. c. pag. 16.17.) loquitur immediate de sua comprehensione, de imminentibus periculis, atque Petro praedicit negationem. Discipulorum fugam ac Petri negationem consecuta esset ipso facto quaedam saltem transitoria interruptio exorientis Regni Dei, nisi fuissent infideles a domino rursus adunati et confirmati. Quocirca orat Christus pro Petro, ut hic saltem in negatione sua fidem non amittat, etsi exterius ab ipso discedat. Eademque tanquam fortiori prae aliis munus praeterea committit ut post suam conversionem h. e. postquam e lapsu se erexerit, ceteros confirmet. Ea igitur verba Christi relationem speciem habent ad conditions illius temporis; sane possibilis omissione fidei in Petro, oratio Salvatoris pro eo, eius conversio, id omne refertur ad eius mox futuram negationem, et fratres h. e. ceteri Apostoli indigebant tunc confirmatione quia ipsi omnes dominum parumper reliquerunt. De concessa aliqua ecclesiastica dignitate, ut quisque videt, heic ne verbum quidem. » Insuper ait (ibid. pag. 19.) « in toto contextu verborum Christi sermo non est de singulari cognitione fidei, sed de virtute fidei in oppositione ad apostasiam a Christo... debebat Petrus elapsos et dispersos Apostolos postea rursus congregare et stabilire in fide Christi et fiducia in ipsum: debebat Petrus, si Apostoli aliquatenus ob metum periculi titubassent, firmos statuere, atque a lapsu et negatione fidei servare immunes. Quapropter dictum est: ego oravi ut non deficiat fides tua, non: ut non erret fides tua. »

Quam interpretationem ineptam antequam refellamus oportet in tuto ponere significationem termini *fides* et phrasis *ne deficiat*, quam hic Dr. non videtur satis assecutus. Itaque advertenda haec ducimus:

1) *πιστις* (a πεπιστω persuasus est, credit) est penes classicos proprie assensus firmus mentis, persuasio, certitudo tum subjective, tum vero etiam obiective h. e. res ipsa certa. Identidem autem apud

ipos πιστις est fiducia θαρρος. 2) In T. N. πιστις fides est extra omnem dubitationem frequentissime fides proprie dicta tum subjective spectata pro assensu mentis firmo Deo revelanti, tum objective pro ipsis veritatibus revelatis. Non est opus quoad hoc testimonia congerere; prostrant ea in omnibus Evangelii, Actibus, et Epistolis. Praeterea 3) cum fides definitur Hebr. XI, 1. talis eius essentia exhibetur, ut fiduciae praesupponatur, et ad intellectum spectet: sperrandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Rursus 4) Fides a spe, ideoque a fiducia quae est spes roborata, distinguitur accurate 1. Cor. XIII, 13. *Nunc autem manent fides, spes, caritas; tria haec.* Porro vel ex his solis colligere licet ius esse nobis in loco Luc. XXII. fidem interpretari sensu eo qui proprius est, et communis in Scriptura ipsa, quem ipsa definitio a Scripturis tradita suppeditat. Verum alia addere licet. Etenim 5) negamus quod cum fides in Scripturis exhibetur ut ratio cur aliquid obtineatur a Deo, vel cur miracula Dei ope patrentur, eo ipso significetur directe et immediate fiducia quae sit actus distinctus a fide, non ipsa fides. Id probari potest tum ratione, tum ipso usu Scripturarum. Sane quoad rationem; cum fiducia nequeat esse sine assensu mentis firmo, qui est fides, et eo maior illa sit, quo hic est firmior; si fiducia requiritur, etiam fides requiritur: et si fiducia est ratio cur aliquid obtineatur vel fiat, etiam fides, cui fiducia innititur, potest dici eiusdem rei ratio. Cum ergo Christus dixit fidem esse rationem cur obtineatur aliquid ab eo, potuit directe cogitationem intendere in ipsam fidem, quae fiduciae radix est, ipsam quidem considerando simul cum aliis conditionibus necessariis, sed tamen ipsam directe non tantum indirecete significando, et conditiones alias tanquam effectus illius tantum adsignificando. Quoad usum Scripturarum, satis sit conferre Heb. XI, 31. seq. et 1. Cor. XIII, 2. Priore in loco fides dicitur id quo beneficia a Deo obtenta sunt, quo miracula patrata: Fide muri Iericho corruerunt: Fide Rahab meretrix non periret cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.... Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt recompensationes, obturaverunt orationem, extinxerunt impetum ignis etc. Porro fides de qua hic sermo est, est semper illa quae in initio capituli definita est; quae est fides proprie dicta. Altero loco Paulus ait quod si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero; nihil sum: fidem autem proprie dictam heic significari liquet ex eo quod eodem capite fidem ab aliis duabus virtutibus spe et caritate distinguat. Imo 6) Christus ipse declaravit quaenam sit fides quam requirebat pro beneficiis sanationum impertiendis: Matth. enim IX, 28, cum accessissent ad eum caeci, dixit eis Iesus: *Creditis quia hoc possum fa-*

cere vobis? et affirmantibus illis, tetigit eorum oculos dicens: secundum fidem vestram fiat vobis. Iam vero potestas Dei non est obiectum fiduciae, sed assensus mentis qui est proprie fides. Cf. et Ioan. XI, 25. 26. 27. 40. Quotiescumque ergo ea formula occurrit *fides tua te salvum fecit* (Matth. IX, 22; Marc. V, 34; Luc. VII, 50; VIII, 48; XVII, 49; XVII, 42.) accipi potest de fide proprie dicta licet non seiuncta a fiducia, quae ab ea sponte gignitur. Imo affirmari potest et debet quotiescumque in T. N. occurrit, et frequentissime occurrit, nomen fidei, quae de hominibus praedicatur, semper directe significari fidem proprie dictam sive assensum firmum mentis in Deum; si excipias Rom. XIV, 23, in quo tamen ea fides adsignificatur. Id ex omnibus et singulis testimoniorum collatis planum fiet. Idem et de verbo *credo* affirmandum est cum per ipsum significatur actus supernaturalis quo ferimus in Deum; si excipias Marc. XI, 23. 24: in quo *credere* videtur directe significare *fiduciam*, innixam quidem fidei, quae certe adsignificatur. Itaque concludere licet hanc esse veram et communissimam significationem vocis *Fides* in T. N. ut sit assensus mentis veritatibus a Deo revelatis, cum sumitur subjective. Quare ipsi Protestantes qui fidei iustificanti Catholicorum substituerunt quandam fiduciam, eam tamen ita definiunt, ut sit persuasio certa de salute nobis in Christo promissa, et nobis per ipsam fidem applicata. (cf. Stephanum v. πιστις).

Iam vero indeficiencia fidei quam Christus exoravit est ne in eo tantum sita quod virtus fidei non amittatur, quod quidem contingere potest etsi quis erret in fide, quatenus vel errat in iis quae nondum sunt definita, vel absque pertinacia dissentit ex ignorantia a norma veritatis; an est in eo quoque sita quod Petrus erratur non sit aut dubitatur in iis quae ad fidem spectant? Hoc alterum tenendum est. Sane primo verba Christi: *non deficiat fides tua*, quoad defectus qui excludi possunt, sunt illimitata et universalia: nulla est ergo ratio cur solus defectus moralis excludatur, non etiam defectus notitiae aut certitudinis, nam et hoc posito aliqua vera ratione deficeret fides. Secundo habenda est ratio finis cur haec indeficiencia fidei exorata sit a Christo. Est autem exorata ut Petrus confirmet fratres contra impetus Satanae exquirentes perdere fratres: fratres porro Petri et Petrus universam Christi Ecclesiam vel formaliter vel virtualiter complectuntur: firmitas autem totius Ecclesiae contra Satanam requirit non solum ut defectus moralis fidei excludatur, sed error simpliciter in fide; ergo etsi ad aliquod tempus tantum confirmatio Petri limitetur, pro eo saltem tempore fides eius ita indeficiens esse debebat ut error omnis excluderetur. Tandem haec est in Ecclesia Christi interpretatio communis huius loci, cuius te-

stimonia tamen alibi recitabimus, cum scilicet loquemur de infallibilitate R. Pontificis.

V. His praestitutis iudicium ferendum est de interpretatione langeniana. Indeficientia fidei impetrata est a Christo Petro tantum pro tempore lapsus, ne exterius negando fidem interius quoque illam abiiceret; impetrata est autem illi ut in ea communi perturbatione confirmaret conversus fratres utpote ceteris fortior et constantior. Scilicet ad confirmandos alios in Christi sequela ille pro eo tempore eligitur qui eodem tempore minus constans fuit ceteris, et magis a Christo recessit; diciturque fortior et firmior qui ceteris non negantibus solus negavit. Annon fortior et firmior Ioannes qui usque ad crucem palam Magistrum est secutus? Si haec erat oeconomia Christi ut pro eo tempore quis e discipulis eligeretur qui alios in sui sequela confirmaret, nemo ineptior ad id obtinendum Petro fuisse dicendus est. Praeterea supponit iste Dr. quod ceteri Apostoli fidem amiserint cum Dominum dereliquerunt; secus enim non intelligitur quo spectet haec oeconomia quam Christo attribuit: sed quis id eum docuit?

Ex facta porro animadversione patet quam immerito postuletur ut verba Christi ita accipiatur ac si ad mox futuram temptationem solummodo referrentur. Provocatur quidem ad loca quae dicuntur parallela, nempe Matth. XXV, 31, et Marci XIV, 27, ubi Christus praedicit Apostolis quod omnes scandalum patientur in eo illa eadem nocte; Petrus autem respondens iis Christi verbis ait, quod etsi omnes scandalizati fuerint, ipse nunquam scandalizabitur; et tunc audit a Christo praedictionem sui lapsus. Unde colligitur quod huiusmodi scandalum sit ea tentatio Satanae de qua Christus loquitur penes Lucam: *ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut tritum*: cum praesertim eidem penes Lucam subdatur responsio Petri: *Domine tecum paratus sum in carcerem et in mortem ire*, atque vaticinium lapsus ipsius. At si ita est, cum ea tentatio sive illud scandalum temporarium fuerit, etiam confirmatio Petri pro eo tantum tempore locum habere potuit. Atqui negandum est de eadem re in iis locis Matthei et Marci esse sermonem ac est penes Lucam XXII, 31. 32. quod ex ipsa rerum analysi evidens est. Sane apud Matthaeum sermo est de scando quod omnes patientur, et praecipue Petrus, qui non tantum dispergetur, sed negabit Christum: ideoque, si ibi tentatio Satanae intercessit, sermo est de tentatione, cui omnes succumbent, et praesertim Petrus. At penes Lucam l. c. sermo est de ea tentatione, per quam Satanas non est praevalitus contra Apostolos et minime omnium contra Petrum: praesidium enim efficax contra eam Christus constituit in fide Petri, quae cessura non

asset et per quam ceteri fratres confirmarentur. Dico praesidium efficax: oratio enim Christi absoluta est, effectu non caritura: fuisse vero absolutam liquet ex verbis sequentibus *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, quibus supponitur Petrus et representatur stabilitus firmiter in Fide; hac enim tantum in hypothesi potest ipsi iniungi officium confirmandi fratres. Ergo de diversa prorsus re loquitur Lucas ac Matthaeus. Quare quae narrat Lucas XXII, 33. non sunt necienda immediate cum praecedente sermone 31, 32; sed supplendum est ibi quod narrat Matthaeus XXVI, 31: quod omissum est a Luca et omissum quoque est a Ioanne: apud quem quamvis eadem sententia Christi occurrat XVI, 32, hec tamen non refertur ille idem sermo Christi qui est apud Matthaeum; nam sermo praecessit necessario responsum Petri quocum ea logice cohaeret: Petri vero responsum refert Ioannes XIII, 37. allatis prius quibusdam verbis Domini quae a Mattheo et Marco omittuntur.

Ergo non est constitutus Petrus confirmator fratrum pro tempore dispersionis Apostolorum cum ablatus ab eis est sponsus. Nec pro tempore resurrectionem Christi subsecuto: nam tum evidenter Christus immediate per se confirmatoris partes agebat.

VI. Quo igitur spectant Christi verba: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*? Quoniam στηρίζω (quod est stabilio, firmo, fulcio στερεωτικός, unde στηριγματικός firmamentum, fulcimentum, quod idem est ac ἐδραιωματικός (cf. Svida v. στηριγμός) basis, fundamentum, fulcimentum) sensu quoque morali cum suis derivatis accipitur, liquet hunc sensum tantum heic habere locum. Igitur δος στηρίζων sensu morali is est, qui aliorum animis loco est basis aut fulcri ne labantur aut vacillent, qui eos contra impetus adversos reddit firmos, stabiles ac tutos. At hoc officium confirmandi fratres est ne uno actu explendum, an habituale quid ad actus procedens cum oportet? Dubitatio oriri potest propter ea verba Christi καὶ σὺ ποτέ ἐπιστρέψεις στηρίξον et tu aliquando conversus confirma. Nam querere licet an illud ποτέ ad terminum conversus tantum, an etiam ad verbum *confirma* referatur: quae quaestio ut solvatur, inquirendum est quoque sensus illius termini *conversus*. Porro sunt plures qui putant terminum hunc significare conversionem a lapsu mox futuro: alii accipiunt terminum ἐπιστρέψεις adverbialiter, quod non raro fit, ut sit vel pro παλιν rursus, ἀμοιβαῖς vicissim, vel ad designandum benevolum animum in quempiam, quod et frequenter occurrit in Scripturis. Ut verum fateamur placet nobis magis altera interpretatio, quae est per se admodum consona rationi loquendi Scripturarum: 1) quia nulla adhuc occurrit mentio lapsus Petri, ideoque verba Christi in sensu determinato conversionis a lapsu